

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
SISTENS  
NONNULLA AD MILITIAM SAGATAM  
ET TOGATAM SPECTANTIA  
CAPITA

— . . . —  
QVAE  
PRAESIDE  
GOTTLIEB WERNSDORFFIO

PHILOS. ET IURIS VTRIVSQVE DOCTORE, DIG. INFORT.  
ET NOVI PROF. PVBL. ORD. CVRIAE PROVINC. ELECT.  
SCABINATVS ET FACVLTATIS IURIDICAE VITEMBERG.  
NEC NON IVD. PROVINC. IN MARCH. LVSAT. INFER.  
ASSESSORE

H. T. ORDINIS IUR. DECANO

PRO SVMMIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE CONSEQVENDIS

DIE XIX. APRILIS A. O. R. MDCCLIIIL.

H. L. Q. C.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

SAMVEL BENIAMIN REYHER

CHEMNITIO - MONTANVS  
IURIS VTR. CANDIDATVS.

— . . . —  
VITEMBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHII

b  
diss. A  
13

*Diss. A. 235 (13)*



TO THE HONORABLE SENATE OF THE UNIVERSITY OF DRESDEN  
IN CONNECTION WITH THE PROCEEDINGS OF THE

GOTTILIEB HEYDICH



IN THE COURSE OF THE YEAR 1807

BY THE HONORABLE SENATE OF THE UNIVERSITY OF DRESDEN

1807



VIRIS

IVRISCONSVLTISSIMIS, EXPERIENTISSIMO, EXCELLEN-  
TISSIMIS, AMPLISSIMIS, DOCTISSIMIS

BENIAMIN GOTTW. WEIDLICH

CONSILIARIO A COMMISSIONIBVS, ET PRAEFECTO IN  
CAVSIS IVSTITIAE PRAEFECTVRAE ROCHLITIENSIS  
GRAVISSIMO,

IOHANN GOTTH. HALLBAVER

SVPERIORI ACCISARVM COMMISSARIO IN CIRCVLO  
LIPSIENSI, MERITISSIMO,

ET

WILHELM REDLICH

MEDICINAE DOCTORI ET PHYSICO IN PRAEFECTVRA  
ROCHLITIENSI DIGNISSIMO

PATRONIS SVIS SVMMOPERE COLENDIS



VITAE

HOC

INSTITUTIONUM, EXPERIMENTALIS, EXCELLEN-  
TISSIMAE, ANATOMIAE, DOCTISSIMAE

BERNARDINI GOTTL. WEIBLII

SPECIMEN ACADEMICVM

INSTITUTIONUM ANATOMIAE

EXCELLEN-  
TISSIMAE

BERNARDINI GOTTL. WEIBLII

INSTITUTIONUM ANATOMIAE

EXCELLEN-  
TISSIMAE

ET

WILHELM. REIDII

INSTITUTIONUM ANATOMIAE

EXCELLEN-  
TISSIMAE

OBSERVANTISSIMVS CVLTVR

AVCTOR.




Observ. I.

*Periculum mortis instantis, est unicum et verum fundamentum testamenti militaris.*

**L**eges Romanae quidem omnes in eo conveniunt, quod milites exempti sint a solennitatibus consuetis testamentorum, de ratione vero, qua hoc privilegium nitatur, diversa disponunt. In *Pr. I. de milit. test. nimia imperitia* militum, causa huius privilegii esse dicitur, milites enim magis *arma*, quam *iura scire*, constitutum est in *L. ult. C. de iure delib.* Hinc ipse Imp. **TRAIANVS**, ut **VLPIANVS** in *L. 1. pr. ff. cit. tit.* refert, ideo militibus omnes solennitates remisit, quia eorum *simplicitati* esset consulendum, eodemque modo Imp. **ANTONINVS** in *L. 3. C. c. t.* constituit. Alii in genere ex *fauore* militiae hoc fundamentum repetunt, quia milites in securitatem reipublicae tuendam, pro patria mori non sunt timidi. Ad hunc fauorem vnice respicitur in militia *Domus Austriacae*, ita ut militibus sit permissum iure militari testamentum condere, nullo loci et temporis discrimine habito, ut disponitur in *der bey den Keyserlichen Königlichen Regimentern in Justizsachen vorgeschriebene Norm d. 25. Jun. 1754.* vid. et **BERGERVS** in *O. I. Lib. II. t. IV. th. 5. n. 3.* Attamen certius patet, hunc fauorem, veram privilegii causam, non esse habendum, quia illud competit, non militibus actu talibus solum, sed etiam omnibus, qui castra sequuntur, modo sint iisdem expositi periculis *L. unic. ff. de bon. poss. ex test. milit.* Hinc potius unicum fundamentum ponendum est in periculo metuendae mortis, quod **IUSTINIANVS** iure nouo in *L. 17. C.*





*C. de test. mil.* constituit, cum militem distinguat in *expeditione* et *extra eam*, constitutum. Quod tamen clarius dispositum iam fuit in *L. 15. C. cit. tit.* qua Imp. CONSTANTINVS sanxit, *huiusmodi solemnitate stabilem esse oportere, ipso tempore, quo in proelio vitae sortem derelinquunt.* Quomodo vero intelligenda sint; verba in *expeditione esse*, explicat DONELLVS ad *L. 17. C. cit. tit. n. 2.* si illam intelligit, de omni tempore, quo milites in armis procedunt, aut stant aduersus hostem, siue eum persequantur, siue imminentem expectent, vel vt inuadant, intenti in omnes opportunitates rei bene gerendae, vel vt inuadentem sustineant et propulsent. Non requiritur instans et iam praesens periculum, sed sufficit quodecunque futurum, atque imminens vid. HORPIVS ad *I. Lib. II. tit. XI. §. 1. in not.* Hinc miles in *acie* esse dicitur, non ille solum qui actu in conflictu et discrimine belli est constitutus, sed ad eos pariter extenditur, qui mandati ad arcem expugnandam incedunt: *die im Anmarsche begriffen, vor einer Festung Posto zu fassen*, vel qui in obsidione sunt collocati, quamuis in procinctu ad oppugnandum non sint, habetur enim ob metuenda eruptionum pericula, ac si ipsis quocunque tempore vitae amittendae improvisa immineret iactura, quem in finem a supremo Senatu Dresd. Prouoc. iudicatum fuisse, testatur BERGERVS *Lib. 2. t. 4. tb. 5. n. 3.* Et quamuis ordinat. *Maximil. I. de Notar.* militem in triplici habitu, vt notum, scilicet in *acie*, in *castris* et in *hybernis*, consideret, et hoc respectu habito, solum solennitates attemperet, inde tamen non sequitur, requiri aciem instructam ac iam tormentis intonantem, copiasque esse ordinatas, vt vulgo dicitur *en ordre de Bataille.* Ergo idem priuilegium, sine omnibus solennitatibus vltimam voluntatem condendi, competit etiam iis, qui mittuntur ad hostes recognoscendos, et qui, ad locum periculosum defendendum translocati (*auf scharf Commando*) pugnis subitaneis (*Scharmützeln*) exponuntur, vel qui in extrema statione *Piquet* collocantur, vt pariter haec causa a supremo Senatu Dresd. Prouoc. fuit decisa, in causa Comitum v. P. contra Com. v. S. cum quaestio ageretur, an donatio mortis causa, ab eo facta subsisteret, cui, tempore factae donationis, extrema statio erat demandata, *der auf dem Piquet gestanden*, vid. et BERGERVS *loc. cit.*

Obf.





## Obs. II.

*Militis voluntas in expeditione per epistolam declarata, ut testamentum militare subsistit.*

Testamentum militare est vel nuncupatium vel scriptum, quod posterius, quocunque modo factum, validum susinetur, si modo certo constare possit de voluntatis declaratione. Accurate enim de hoc casu disponit *L. 15. C. de test. mil.*, ex qua semper militis voluntas *stabilis sit, si quid in vagina, aut clypeo, litteris sanguine rutilantibus adnotauerit, aut gladio in puluere inscripserit.* Et quamuis lex cit. loqui modo videatur de casu, quo miles iam in extremo mortis periculo constitutus, testamentum condit, commode tamen hoc extendi potest, uti in anteced. obs. fuit demonstratum, ad quemcunque modum, quo miles in expeditione versans, ultimam voluntatem scriptis declarat, siue mors iam actu immineat, siue futura modo sit metuenda. Nullum igitur superest dubium, quin dispositio mortis causa, per epistolam ex castris facta, in vim testamenti militaris sit valida. Heres enim hoc modo in casum metuendae mortis institutus, de iure petit hereditatem in tali testamento relictam, neque ei opponi potest exceptio nullitatis *L. 15. C. de test. milit.*

Specialis casus, quem in medium proferam, totam rem clariorem reddet. Miles superioris ordinis, tribus diebus ante proelium Kesselsdorffiense ao. 1745, in litteris ad feminam solutam honestioris conditionis transmissis, eam heredem bonorum declaravit, si forte in hac expeditione caderet. Referebat praeterea, se quotidie cum commilitonibus suis pugnis leuioribus, iisque subitaneis, esse expositos, et mox instare aciem principalem, ex qua, se non saluum esse rediturum, sinistro omine augurari. Praesagia mortis non vana fuerunt, ipse in proelio, vulnere accepto grauiori, cecidit, et exspirauit. Ex his litteris ante memoratis, heres instituta hereditatem, ut ex testamento militari, iure exigebat, defuncti vero heredes ab intestato, querelam nullitatis mouebant, cuius fundamentum agendi in eo ponebant, dictam dispositionem ideo esse inuvalidam, quia non in acie ipsa, sed in castris extra mortis periculum esset facta. At enim vero actio de  
iure





iure reiiciebatur, et heredi institutae hereditas adiudicabatur ex dicta epistola, quae ut vltima voluntas privilegiata sustineri debebat, quia, iam instantibus hostilis aggressus periculis, erat scripta. Cum enim defunctus in ipsis litteris illorum disertis verbis mentionem fecisset, liquidissima exinde pro testamento militari militabat probatio.

Obf. III.

*Miles, qui equos, ad iter expeditionis bellicae causa suscipiendum, sibi emit, ob quodcunque vitium, usum speratum impediens, actione redhibitoria ad rescissionem contractus agit.*

Aediles Curules erant magistratus superiores, illorumque edicta, partem iuris honorarii, constituiebant. Ipsis maxime commissa erat cura circa res politiae, et hodie ex eorum edictis tria capita adhuc, ut notum est, supersunt, a) quorum praecipuum est, ut in foro vendantur res sanae atque integrae, ne emtores decipiantur. Maxime celebris apud Rom. erat feruorum venditio et iumentorum, illi enim pileati vel coronati, haec vero optime ornata, vendebantur L. 38. pr. ff. de Aedil. edict. Cuius rei causam hanc COELIVS SABINVS fuisse tradit, quod mancipia in vendendo insignia esse deberent, ut emtores errare et capi non possent, b) quod imprimis ratio fuit, cur Aediles hoc edictum proposuissent. Hinc si emtor erat deceptus, vel actione redhibitoria, vel quanti minoris, contra venditorem experiebatur. Iam non locus est de natura atque indole vtriusque actionis differere, neque de diuersis effectibus, quos vtraque instituta intendit, et operatur. Haec modo quaestio excutienda est, quale vitium adesse debeat, ut cum effectu redhibitioni sit locus. Res vendita enim vitio laborare debet latenti, quod tempore contractus iam adfuit, et quod emtor ignorauit, quae enim palam apparent, venditorem non obligant L. 43. ff. de contrah. emt. Eiusmodi vitium vero duplicis qualitatis esse potest, ut vel rem plane inutilem reddat, vel quidem plane inhabilem, mino-

a) HEINECCIUS Flor. sparf. ad Edict. Aedil.

b) vid. GELLIUS in Noct. Att. Lib. VII. c. 4.

Coll. diss. A. 235, Mus. 13





minoris tamen pretii efficiat. Priori in casu DD. solum actionem redhibitoriam, posteriori vero, quanti minoris, seu aestimatoriam, admittunt, vti HELFELDIUS, c) STRYCKIUS, d) aliique statuunt. Vtramque tamen actionem electiue concurrere, e) ita vt actoris arbitrio relinquatur, qua actione experiri velit, recte disponitur in *L. 48. §. 2. ff. de edict. aed.* ita tamen, vt actio instituta ob idem vitium, alteram tollat, cui deinde obstat exceptio rei iudicatae, quae tamen opponi nequit, si ex nouo et diuerso vitio agatur, de quo casu LEYSERVS f) interpretatur *L. 25. §. 1. ff. de except. rei iud.* illamque recte cum *L. 48. §. 2.* cit. conciliare studet. Cum igitur emptori competat actionis instituendae electio, ipse ob quodcunque vitium, ob quod empturus non fuerit, redhibitoriam instituere non prohibetur ex *L. 25. §. 1. cit.* Vitium enim rei inhaerens aestimandum non est ex vsu, quem adhuc aliis res praebere potest, sed ex qualitate, ad quam emptor vnice in emendo respexit, ob quam certo vsui rem destinauit. Verba edicti in genere loquuntur de vitio, quod emptori vsum speratum intercipit, vti in *L. 1. §. 8. de edict. aed.* dicitur, *si quid tale fuerit vitii aut morbi quod vsum ministeriumque hominis impediatur.* Respectu emptoris omne impedimentum spectari debet, quo praeter spem ipsi rei redditur vsus vel difficilior vel deterior *L. 10. §. 2. cit. tit.* Quam ob causam si iumenta paria sunt vendita, et alterum in eo statu fuerit, vt redhiberi debeat, *utrumque redhibeatur L. 38. pr. I. c. tit.* et in *§. 14. c. L. redditur ratio, dum paria iumenta non separantur.* Sunt enim interdum communi iugo adsueta, alterum sine altero commode vsum non praestat, quod in primis in equis obtinet, qui ornatus causa eiusdem coloris, et qualitatis esse debent, vt ex hac causa non sine incommodo separentur, *a. L. 35. ff. c. tit.* In foris nostris praecipue haec actio redhibitoria ob equos vitiosos ventilatur, in qua emtione emptores facilius circum-


c) In Iurisprud. for. §. 1111. et 12.

d) In Vl. Mod. ff. Lib. 21. tit. 1. §. 12.

e) Vid. BERGERVS in O. I. Lib. 3. tit. 8. n. 7. et BARTHII Hodog. for. cap. 1. §. 81. lit. b. pag. 386.

f) In Med. 1d ff. sp. 237. m. 2. 3.





cumueniuntur, venditorum vero fallacia frequentissime occurrere solet. Quatenam vero sint illa vitia, hoc iura Rom. vti iam dictum est, non in *specie*, sed in *genere*, ex omni vitio aestimant, quo vsus iumenti emti impeditur. Iure Sax. WEICHBILDICO *art. 97.* numerantur solum tria vitia equorum, si sunt *coeci, retrogradi, asthmatici, hart-schlägig* (non *haarschlächtig*), sed ex vsu fori accensentur alia, si pituitosi, lunatici deprehenduntur. g) Haec vitia necessariam reddunt redhibitionem, de qua iudex ex officio pronuntiare debet, quamuis aestimatoria sit instituta L. 43. §. 6. *de ed. aed.* ergo alia, quae eam voluntati emtoris relinquunt, non excluduntur, quae recenset STRYCKIUS, h) BVDERVS i) et ROEVERSTRVNCK. k) Inter quae referri potest, si equus emtus vitio laborat, quod vulgo dicitur *spatula* (*Spath*) vel alio quocunque, ex quo vsus equi deterior redditur, vt itineribus difficilioribus faciendis minus idoneus fiat emtori. MENCKENIUS quidem loc. cit. anceps haerere videtur, si statuit, tunc saltem venditori subueniendum, si eiusmodi vitium ignorauerit, quia solum dolum praestaret, sed hanc distinctionem verba edicti non permittunt, dicitur enim, in L. 1. §. 2. *ff. de aed. ed. venditorem, etiam si ignorauit ea, quae Aediles praestari iubent, tamen teneri debere*, et quidem redditur ratio: *neque interest emtoris, cur fallatur, ignorantia venditoris, an calliditate.* Cum igitur lex vitia non in specie definiat, illa determinanda sunt ex vsu, ad quem vnice emtor in equis emendis respexit, adhibito, vti HELFELDIUS l) monet, arbitrio iudicis, vel artis peritorum. Hinc miles, contra hostes profecturus, equos si transuehendarum sarcinarum causa emerit, factam venditionem rescindere potest ex quocunque vitio, quo vsus in expeditione ipsa impeditur destinatus. Eius enim inprimis interest, vt venditor praestet equos sanos, exercitatione robustos, atque ad molestiora itinera, vti plerumque in bello contingit, faci-

g) Vid. MENCKEN in ff. pag. 359. edit. SCHOEN.

h) In Vl. mod. ff. Lib. 21. tit. 1. §. 13.

i) De vitiis pecorum venal.

k) In medit. aedilitiis, de iudicio equestri, tam redhib. quam aestimatoria.


l) In Iurisprud. for. §. 1111.





facilius facienda, idoneos. Hinc contraria ex parte, vti ex casu, quem breuiter recensebo, apparet, actione redhibitoria venditor fuit recte conuentus. Praefectus militum superior contra Franco-Gallos ad expeditionem bellicam euocatus, emerat sibi equos carpento sarcinarum iungendos, (*Equipage-Wagen*) putans illos esse eius qualitatis, vt apti essent ad molesta expeditionis itinera, per loca interdum inuia ingredienda, sustinenda. Praeter spem vero deinde apparebant vitia, quibus impediatur emtor, quo minus profectioem bellicam his equis instituere posset. Oculari inspectione instituta, alterum equorum spatula et praeterea defectu carnis, qui dicitur (*Schwind*) in osse coxae sinistri pedis, laborare, palam constabat, ex quo coxa claudus (*Hüftenschwäche*) efficiebatur. Et cum in bello, imprimis ob profectioes interdum concitatori cursu, si hostes instat, faciendas, opus sit equis validioribus, ex rationibus iam supra adductis, emtor contra venditorem ad contractum rescindendum agebat redhibitorie. Libellus etiam sustinebatur, quamuis actor ageret ex vitio, iure Sax. WEICHB. non definito, in quo tamen nonnulla vitia recensentur *exemplatiue*, non *dispositiue*, vt alia, vti iam dictum, non excludantur. Hinc etiam in sententia interlocutoria emtori probatio, vti venditori reprobratio, iniungebatur, qua vtrunque finita, venditor in sententia definitiua ab actione liberabatur ea conditione, si iuraret, se conditionem alterutrius equi, quod circa coxam pedis posterioris sinistri carne defecisset, (*am Fleische schwächer*) pro tali vitio non habuisse, quod equum, ad transvehendum actoris carpentum sarcinarum, (*Equipage-Wagens*) inutilem redderet. Nam quia reus in reprobatione deduxerat, vitium non fuisse *latens*, sed *apertum*, et se bona fide reputasse illud vsum in itinere, expeditionis bellicae causae suscipiendo, non impedire, eum in modum sententia, ex indole et qualitate peractae pro- et reprobationis, concipiebatur.





## Obf. IV.

*Militibus sagatis et togatis aequalis dignitatis honor in legibus est constitutus.*

**M**agna olim apud Romanos fuit honoris aemulatio inter Literatos et milites actu tales, qui sibi prae illis principem locum vindicare certabant. Vetus fuit illa controuersia, iam CICERONIS <sup>m)</sup> temporibus agitata, qui tamen pro principatu literatorum stare videtur, nixus hoc effato:


*Cedant arma togae, concedat laurea linguae,*

sed media via esse incedendum, et miseram esse rempublicam, in qua arma legibus, vel leges armis anteponuntur, monet LEYSERVS, <sup>n)</sup> quod iam cognouit IUSTINIANVS, si in *proem. I. imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus armatam esse oportere*, praecepit. Hinc utriusque ordini aequalia dignitatis iura, ob commoda ex utroque in rempublicam redundantia, tribuit. Inde *militēs* in genere dicuntur, qui in negotiis, ad reipublicae vtilitatem pertinentibus, occupati sunt, ipsumque vocabulum *militare* promiscue in legibus de utroque ordine vsurpatur *L. 2. C. de priuil. schol.* Quam ob rem saepius in legibus *Cod.* occurrit distinctio in *militiam armatam, coelestem, literariam, palatinam, scholasticam*, v. c. in *tit. C. de prof. et med. de priuil. schol. et de priv. cor. qui in sacro palat. milit.* et omnes hae species, sub generali diuisione in *militiam sagatam et togatam*, comprehenduntur. In illa filiusfamilias *peculium castrense*, in hac quasi *castrense* possidere dicitur, atque in utroque non solum liberrimam disponendi facultatem tam inter viuos, quam mortis causa habet, sed etiam ratione vtriusque in diuidenda hereditate, immunis est a collatione facienda *L. 1. §. 15. de collat. L. 1. C. de castr. pec.* Et uti hodie vterque ordo gaudet privilegiato foro, ita iure Rom. in *solo sublimitatis examine* respondere cogi poterat *L. 3. C. de castr. et ministr.* Cum vero causarum patroni magno feruore, variisque, instar militum, stratagematibus, in  
iuri-

<sup>m)</sup> De offic. Lib. 1. cap. 22. et 23.

<sup>n)</sup> In supplem. post spec. 661. de legibus armatis med. 1-6.




  
 iuribus partium defendendis, vtantur, inprimis lis et iudicium, bello simile habetur, et aduocati militibus aequiparantur. Hoc iam disertis verbis Imp. LEO et ANTHEMIVS sanxerunt, quorum sententiam IUSTINIANVS in L. 14. C. de aduoc. diu. iud. recepit, inquiring, non minus prouident humano generi (aduocati,) quam si procliis atque vulneribus patriam parentesque saluarent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis et thoracibus nituntur, sed etiam aduocatos: militant namque causarum patroni, qui gloriosae vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam et posteros defendunt. Ex qua magnifica descriptione satis apparet, neutrum ordinem alteri praecedere, miles enim securitatem patriae armis, legum peritus vero legibus, defendit, et praefertim hic scriptis eruditis praesentem adhuc conseruat, vt ignem futuri belli, sub cinere iam gliscentem, amicabili quasi compositione supprimat, et multorum sanguini parcat. Patria armis contra hostes externos facta teclaque praestatur, legibus vero etiam interna ciuium salus contra delinquentes restituitur, vti magna verborum grauitate in L. 31. C. ad L. Iul. de adult. sancitum legitur: iubemus insurgere leges, armari iura, gladio ultore. Si igitur teste CICERONE l. c. cap. 23. non minorem utilitatem afferunt, qui togati reipublicae praesunt, quam qui bellicum gerunt, aequitati conuenit, vt vtrisque aequalis dignitatis honos habeatur. Hinc LEYSERVS l. c. suadet, principem prudenter facere, qui vtrique parti sic fauet, vt neutra se postponi persentiscat. Quam prudentiam legislatoriam summus Borussiae Rex statim sub initio regiminis declarauit sapientissimo Edicto emisso, quo quidem militum circa rempublicam merita debitis laudibus celebrauit, sed eadem pariter ciuilibus conditionis ciuibus confirmauit, addita seuera comminatione, ne hi ab illis parui existimentur, vel vlllo modo iniuria et contumelia afficiantur.


Obf. V.

*A militia sagata ad togatam non semper valet conclusio.*

IUSTINIANVS quidem aequalia dignitatis iura militibus sagatis et togatis tribuit, eademque Imp. FRIDERICVS I. in auth. habita C. ne fil. pro patr.

B 3





*patr.* constituit, cum inprimis Professoribus et literarum studiosis mi-  
rum in modum faueret, eorumque priuilegia contra omnem iniuriam,  
positis grauioribus poenis, inuiolabilia pronuntiaret. Interim tamen  
iam in legibus Rom. specialia iura determinata sunt, in quibus a *sagata*  
militia ad *togatam* argumentum duci nequit, siue respicias militum  
causas ciuiles siue criminales. Ita miles, ratione disciplinae militaris vio-  
latae, delictum proprium committit *L. 1. ff. de veter. et L. 2. pr. de re*  
*mil.* ob quod etiam poena *militari*, quae *communi* opponitur, affici-  
tur *L. 13. C. de testam. mil.* quae fit v. c. virgis caesione, vel glande  
plumbea (*Arguebusade*). Causae militares pertractantur processu sum-  
mario, remissis omnibus solennitatibus, et miles in expeditione con-  
stitutus, nec in ius vocari, neque contumaciae accusari potest, et  
quia semper exceptione absentiae laudabilis necessariae tutus est, con-  
tra eum praescriptio non currit. o) Militibus ignorantia iuris prodest  
*L. 1. §. 1. de iur. ignor.* modo excipias articulos militares de quibus ser-  
uandis iuramento obstringuntur, quorumque praelectio ideo saepius  
repetitur; Literati vero, et inprimis aduocati, ad hanc ignorantiam  
prouocare non possunt *L. 43. ff. de orig. I.* In expeditione versantes,  
ab omnibus testamentorum solennitatibus sunt exempti, quod priuile-  
gium vero ad peculium quasi castrense extendi nequit, ne, si quidem  
causam de-  
fendens, subita morte imminente, hoc more priuilegiato testamen-  
tum condere vellet. Pari ratione milites gaudent immunitate onerum  
et munerum publicorum *L. 3. C. de his qui non impl. stip.* hinc et ex-  
cusantur a suscipienda tutela *L. 8. pr. ff. de excusat.* quo priuilegio  
pro parte modo literati fruuntur, scilicet Professores ordinarii, *L. 6.*  
*§. 5. ff. cit. tit.* et *L. 6. C. de Profess. et Med. legum vero Doctores, in ali-*  
*quo praesidatu docentes, remissionem non habent, nisi Romae doceant. L. 6.*  
*§. 12. ff. cit. tit.* Inter causas excusationum a tutela, etiam refertur  
iustus numerus liberorum, adhuc viuentium, nisi essent in acie caesi,  
quia hi ob singularem militiae fauorem in *pr. I. de excus. in perpetuum*  
*per gloriam viuere intelliguntur.* Quae dispositio ad literarum studio-  
sos,

o) LEYSERVS in spec. cit. med. 11. 13. 14. et 17.



sos, in Academia mortuos, applicari non poterat, cui tamen hodie iure Sax. per *Ordin. pup. cap. 9. §. 1. n. 7.* fuit derogatum, sine vlla enim distinctione est sancitum, vt liberi *viui* adhuc existant. In Sax. denique ex singulari iure milites superioris ordinis specialem relinquunt *heergewettam*, quae *militaris* dicitur, et consistit in optimo equo cum apparatu (*das Parade Pferd mit Pistolen, Sattel und Zeug*). Haec ex hereditate defuncti praestanda est Praefecto superiori, et hoc privilegio munita est, vt orto concursu creditorum, omnibus reliquis creditoribus praeferatur. *Decisio-Ordre de a. 1743.* ap. HOFFMANNVM in *Cod. Leg. Mil. p. 1277. Cavall. Dienst-Reglem. ibid. pg. 542.* Ita pariter viduae militum fruuntur privilegio, vt redditus tempore gratiae perceptos, conferre non debeant in concursus subsidium *Dec. Ord. d. a. 1733.* sed nunc, cum de praecipuis militum, actu talium, iuribus differuimus, incidimus in quaestionem, vtrum pariter inter haec beneficium competentiae sit referendum, an vero literatis atque inprimis legum Doctoribus, vt commune competat. Fuit haec quaestio a DD. vario Marte agitata, plerique tamen affirmatiuam tuerentur sententiam. Si rem ex legibus ipsis, quibus hoc beneficium, vt ius singulare, certis ordinibus hominum constitutum est, aestimes, ad alios, praeter legem, extendi nequit, ideo in Sax. per *ord. Proc. Rec. tit. 52. §. 3.* his solum fuit confirmatum, qui in legibus in specie sunt, nominati. Miles, si bonis labitur, ex *L. 6. et 18. ff. de Re. iud.* condemnatus, quatenus facere potest, cogitur soluere i. e. ipsi necessaria adhuc alimenta ex bonis concursus sunt retinenda. Quas leges ad nobiles et Doctores, tanquam milites togatos, extendebant a *L. 1. §. 13. ff. de insp. vent.* quamuis interpretationem extensiuam non admittant, quia stricta in ipsis legibus statim manifesta deprehenditur. Disertis verbis enim dicitur, *miles qui in armata militia stipendia meruit*, opponitur igitur *armata militia, officiis et muneribus ciuilibus*, vti satis apparet ex *L. 2. et 4. C. qui milit. poss. vel non*, vt exclusiue milites, vere tales, sint intelligendi. Prouocant itaque DD. ad vsum fori et consuetudinem, ex qua inprimis MENCCKENIVS p) a *L. 37. ff. de Leg. ad Nobiles et Doctores*

-p) In Pandectis, pag. 662. et 63.





res extensum esse asserit, et praecudicium affert, quo Doctore, ob iniurias condemnato, hoc beneficium fuit denegatum. Inde recte dicit WERNHERVS q) hanc doctrinam magis vsu fori, quam lege scripta, fulciri, proferens exemplum, *Ictorum Vitemb. Ordinem* Licentiatu iuris ius illud adiudicasse. Ad Magistros, Scholares, Professores, Aduocatos, extenditur a CARPZOVIO, r) quoad Aduocatos tamen, dissentit BERGERVS, s) nixus sententia *Facult. Vitemb.* qua Aduocatus quidam, ad hoc priuilegium prouocans, repellebatur. Doctorebus vero hoc beneficium sine vlla distinctione esse tribuendum, iisque etiam apud omnes gentes competere, deducit b. HOMMELIVS, t) concludens a Nobilibus inprimis in Sax. quibus ex vsu fori illud adscribitur, et ex *Ord. Proc. Rec. loc. cit.* ad duos thaleros determinatum videtur. Cum igitur Doctores iura Nobilium habeant, vti ex pluribus argumentis in *dicta obs.* probatur, illi etiam his ratione huius beneficii possunt aequiparari, vt ita haec quaestio magis ex aequitate et vsu fori, quam iure stricto, sit dirimenda. Quoties vero vsus fori constans non militat, potius statuendum est, ad alios, in legibus non in specie denominatos, non posse extendi dictum beneficium, quia, vt ius singulare, stricte est interpretandum, ex eadem ratione vti ad fratres applicandum non est, cum sociis competat, quamuis hi in iure dicantur *fratres arg. L. 63. pr. ff. pro socio.*

#### Obs. VI.

*De poenis eorum, qui militiae euitandae causae se inhabiles reddunt.*

Boni Principis cura vnice intenta esse debet, vt patriae securitatem non solum praesentem conseruet incolumem, sed et iam labefactatam, contra hostes defendendo, integram restituat. Vtrumque hunc finem, in  
 ciuium


q) In obs. for. P. IX. obs. 218.

r) In Definit. P. I. C. 32. d. 15. 18.

s) In El. D. F. pag. 1117. et suppl. tit. 39. P. II. §. 8. pag. 654.

t) In Rhapsod. obs. 618.





ciuium vtilitatem consequendum, non aliter obtinere potest, quam armata manu, et milite perpetuo, qui hostibus terror esse debet, vt abstineant ab iniuriis inferendis. Cum Princeps solus igitur patriam defendere non possit, ipse ex iure eminenti a ciuibus exigit, vt operas conferant, ad quas, ex lege subiectionis in salutem communem tuendam, obligantur. Ipsi igitur cum ius legendi milites ex superioritate territoriali competat, nemo subiectorum, nisi ipsa lege sit exemptus, militiam detrectare, vel quicquam admittere debet, quo se ad militiam subeundam plane reddat inhabilem. Quod vero fieri potest variis corporis mutilationibus, poplites contundendo, dentes anteriores effringendo, imprimis pollices amputando, quod apud Veteres maxime erat in vsu, et hoc modo mutilati, dicebantur *Murci*. Ipsum hoc vocabulum deriuandum esse videtur a *murcidus*, u) quod, teste FESTO, idem est ac ignauus, timidus, hinc *Murcia* x) erat *Dea segnium*, quae praeter modum homines desidiosos, cui opponitur *Strenua*, quae Strenuos atque alacres, efficiebat. Laudat igitur AMMIANVS MARCELLINVS *Lib. 15*. Gallos, quod pari pectoris robore senex ad procinctum ducatur, et adultus, nec quisquam, vt in Italia, munus martium pertimescens, pollicem sibi praecidat. y) Frequentius vero apud Romanos, tirones hoc modo militiam effugere, immo ipsi parentes filios eidem subtrahere, intendebant. Iam Imp. AVGVSTVS z) ideo equitem, eiusque bona hastae subiecit, quod duobus filiis adolescentibus, causa detrectandi sacramenti, pollices amputasset. Eodem modo de Tiberio legitur, eum ergastula ab his repurgasse, quos sacramenti metus ad huiusmodi latebras compulisset. Munus enim militiae detrectare, pro graui crimine habebatur, *L. 4. §. 10. ff. de re milit.* et pater, qui filium belli tempore militia subtrahit, exilio et bonorum parte mulctandus; sin in pace, fustibus caedi iubetur; eum vero, qui filium debilitauit, delectu per bellum indicto, vt inhabilis militiae

u) Vid. MENAGIVS in *amoen. I. Civ. cap. 3. pag. 12 sqq.*

x) De qua cf. ARNOBIVS *Lib. 4.* et AVGVSTINVS *de ciuit. Dei Lib. 4. c. 16.*

y) Coelius Rhodig. *Leet. antiq. Lib. 18. cap. 21. pag. 1006.*

z) SVETONIVS in *eius vita, cap. 24.* et in *Tiberii vit. cap. 8.*





militiae sit, Imp. TRAIANVS deportandum praecepit. §. 11. et 12. cit. L. Grauiissima vero poena, scilicet ignis, constituitur in L. 5. C. Theod. de tiron. si quis truncatione digitorum, ad fugienda sacramenta militiae, damnum corporis expetiisset. Quae lex, quamuis non valeat, tamen demonstrat, nefas esse, dolo malo membris suis in perniciem reipublicae abuti, quia nemo membrorum suorum, uti VLPPIANVS in L. 13. pr. ff. ad L. Aquil. docet, dominus videtur. In Saxonia ex usu fori, mutilationes eiusmodi sex hebdomadam carcere puniri testantur HOMMELIUS a) et PÜTTMANNVS b) in Gener. vero de VII. April. 1768. §. 12. S. C. A. T. 1. pag. 1244. constitutum modo est, ut, se ipsos mutilantes, inter lorarios, seu lictores (Steckenknechte) legantur. Grauiiores poenae tamen sancitae leguntur in Mand. de XXI. April. 1792. §. 30. ex quo illi, qui aufugiunt, et intra quinquennium non reuertuntur, ut desertores, confiscatione bonorum, puniuntur; qui vero aliis commodam aufugiendi occasionem subministrarunt, quinque vel decem annorum ergastuli poenam luere debere. Hinc pro grauitate malitiae poena augeri potest, cum imprimis militia non solum debilitando, sed et variis simulationibus, c) et factis ignominiosis, v. c. tale vitae genus eligendo, quod cum militia constare nequit, detrectari possit. Ita LEYSERVS d) profert exemplum de milite, qui ministeria sordida carnicinae obibat, ac pro desertore haberi poterat, ideoque tribunus legionis poenam ordinariam efflagitabat. Quia vero speciales causae poenam mitigandae aderant, carnifex ob iniustam occultationem quatuor, miles sex hebdomadam carcere, coërcebatur, et priori praeterea omnis damni inde orti iniungebatur restitutio. Nostro tempore eundem casum euenisse, memini. Ante nonnullos annos enim tiro lectus, ut militiam euitaret, excoriatore munus subibat, quia vero exinde res militaris graui ignominia affecta censeretur, iure meritoque ad munitiones publicas condemnabatur.

a) In Rhaps. obl. 419.      b) In Elem. I. crim. §. 386.

c) Vti OVIDIUS met. Lib. 13. v. 36. introducitur Aiaces ita loquentem:

— — detrectauitque furore

Militiam ficto, timidi commenta retexit

Naupliades animi, vitataque traxit in arma.

d) In Med. ad ff. sp. 660. med. 1. 2. 3. 4. 5. et 6.